

VI. Texte

1.

*Notariats-Instrument über das Verhör
Konrad Kannlers in Eichstätt 1381*

Pommersfelden Cod. 158 (2708) fol. 70^v—72^r = P

ed. H. Haupt, ZKG. 5 (1882) S. 494—498 = H

kursiv = Bulle Clemens V. „Ad nostrum“ 1311

petit = Erfurter Verhör J. Hartmanns 1367, ed. E. Werner (s. o. S. 539).

Anno domini millesimo^{a)} tricesimo LXXX primo indicione quarta in die beati Policarpi martiris videlicet VII kalendas Februarii in civitate Eystettensi ac in curia et stuba domini Ulrici de Leonrod canonici Eystettensis hora terciar[um] coram honorabili magistro Eberhardo de Freyenhause canonico Eystettensi inquisitore heretice pravitatis per reverendissimum in Christo patrem et dominum Rabonem episcopum Eystettensem in diocesi Eystettensi deputato et in mei notarii publici et testium infra scriptorum presencia constitutus^{b)} Conradus Cannler laicus Eystettensis, qui prius prestitit corporale iuramentum de dicenda veritate et interrogatus primo, si fuerit liber spiritu dicit, quod sic. Interrogatus, in quo consistat^{c)} libertas spiritus, respondit: cum penitus cesset omnis remorsus consciencie et *redditur homo penitus impeccabilis*. Deinde respondit de primo articulo in Clementinis de hereticis „Ad nostrum“, qui incipit: *quod homo in vita presenti* etc., dicit, quod fuerit in *tali ac tanto gradu perfectionis*, quod ulterius in *gracia non potuerit proficere*^{d)}, quia fuerit *impeccabilis* et unus cum deo et deus unus cum eo nec fuerit aliqua differencia seu distinc cio inter deum et ipsum nec beata virgo seu alii sancti potuerint^{e)} facere aliquam distinccionem inter deum et ipsum^{f)}).

Item interrogatus de secundo articulo in Clementinis qui incipit: *quod ieiuare* etc. respondit, quod crediderit, *quod non oportuerit*^{f)} eum *ieiuare* vel *orare*, sed si sensualitas^{g)} delectabatur comedere, poterat hoc facere absque omni peccato, quia *postquam gradum perfeccionis acquisiverit*, non tenebatur nec ieiuare nec orare, *quia tunc sensualitas*^{g)} *ita fuerit perfecte spiritui et rationi subiecta, quod poterat concedere corpori quidquid placet* et in quo delectabatur.

a) millesimo *fehlt H* b) constituti *P* c) consistit *H* d) perficere *H*
e) potuerunt *P* f) potuerit *P* g) spiritualitas *H*.

¹⁾ Vgl. *Erfurter Verhör* (ed. E. Werner S. 142) zu Art. 4; s. o. S. 540 f. Anm. 53.